

Jam pulso terrore. O quæ prior extulit umbris ,  
 Quam nova sunt ! quam sunt, Jupiter, egregia !  
 Quarum ego tam varia distractus imagine rerum ,  
 Omnia dum cupio dicere , nil valeo .  
 Illa velut biferi tempe per roscida Pæsti ,  
 Seu Penei tempe propter odora , vago  
 Quæ pede discurrit florum studiosa puella ,  
 Aureolo fertum suave parans capiti ,  
 Pallidulis violam dum calthis versicolorem ,  
 Et cypriis præfert alba ligustra rosis ,  
 Hæret inops , anceps ; & quem modo præterit , illum  
 Respiciens florem pollice avet legere ;  
 Rursus & alterius conrepta cupidine formæ  
 Deserit , ac vano decipitur studio :  
 Cuique suus stat nempe decor , sua gratia cuique  
 Insidet , atque suo quisque lepore placet .  
 Non aliter varias efferre in carmina laudes  
 Illius incassum conor ubi in numero  
 Obruor a numero Me quævis namque volentem  
 Allicit , allectum pulchrior at retrahit  
 Visa alia , & melior , quæ se postrema videndam  
 Nequidquam cupidos obtulit ante oculos .  
 An memorem astrorum ve vices , Triviæque labores ,  
 Solis & atratas orbe nigrante rotas ?  
 An radios diæ lucis , numerisque revinctam  
 Terraruin emensa mole superficiem ?  
 Lunaresque undas , certosque agitata per æstus  
 Æquora , qua sese submovet oceanus ?  
 Inventum ne illud referam , quo pulchrius umquam  
 Nulla tulit , posthac nec feret ulla dies ,  
 Quo decus immortale viri magis usque vigebit  
 Hac , atque illa ætate , atque alia , atque alia ?  
 Scilicet obscuris obnoxia legibus ante  
 Corpora , & implexis reddita principiis ,